



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

§. 1. Quid exceptio, & quotuplex.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

## §. I.

Quid Exceptio, & quotuplex.

**I.** Exceptio nomen generatim acceptum, quamlibet defensionem comprehendit. *l. Defensiones II. C. eod.* propriè verò eam tantum, quæ reus ad excludendam actionem uiuit. *l. 2. & l. Antepen. ff. eod.* Vnde qui simplices negat, non dicitur excipere. *Bald. & Felin. ff. eod.*

Definitur à Iurisperitis exclusio, quæ actioni cuiusque rei apponitur, ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationem ve deductum est. *l. 2. ff. de except.* Aut si mavis est conditio (nam conditionaliter olim reus exceptiones proponebat) quæ modò eximit reum damnatum, modò minuit damnationem. *l. exceptio 22. ff. eod.* Sed hæc uni tantum generi, id est, peremptoriis tantum exceptionibus conveniunt, cum de dilatoriis quoque nobis agendum sit. Quocirca melius ita definiens. *Exceptio est defensio qua certis, & iustis ex causis auxilium reo tribuitur aduersus intentionem actoris. l. 4. V. integras defensiones l. siquidem 9. l. Antepenult. Cod. eod.* Aliquibus sufficere videtur breuiloqua hæc: *Exceptio est actionis, vel intentionis actoris exclusio.* Ut comprehendat dilatorias nomen exclusionis in largiori sensu accipiendum est. *V. Wesenbec. l. 4. ff. Tit. l. n. 3. Vallens. l. 2. Tit. 25. Treutler. Disp. 26. n. 1.*

II. Exceptionum genera plura sunt. Nam *Primo* diuiditur in eam, quæ

est facti, seu intentionis, & eam, quæ iuris est. Exceptio facti seu intentionis est, quæ actoris nullo iure agentis intentionem excludit. v. gr. clerici, qui ad iudicem secularem trahitur: illius item, qui ex mutuo agit, cum nunquam dederit mutuum, vel si dedit, iam pridem exolutum est. Exceptio iuris est, quæ actoris ius excludit, ut si petat, quod nullo iure debetur, v. gr. quod vi aut metu graui in virum constantem cadente promissum est. *c. Cuius dilectus de his, qua vi metusue causa.*

*Secundo* diuiditur in dilatoriam seu temporalem, & peremptoriam, seu perpetuam. *l. 2. §. ult. & l. 2. ff. hoc. Tit. §. appellantur Institution. eodem.* Dilatorias sunt, quæ principale negotium, eiusque cognitionem, & iudicium ad tempus differunt, neque omnem actionem extinguunt: ac proinde actor illas evitare potest. *dis. l. 3. §. ult.* Talis est pacti conventi, ne intra quinquennium agatur, quo tempore finito non impeditur actor rem exequi. Perpetuæ sunt, & peremptoriæ, quæ agentibus semper obstat, & semper rem de qua agitur peritunt, qualis est exceptio doli mali, & pacti conventi, ne omnino pecunia peteretur. *V. Inst. de exceptionib. Maranta Par. 6. Tit. n. 11.*

*Tertio* diuiditur ratione termini, vel obiecti sui. Aliæ enim personam iudicis ut incompetentis, aliæ actoris, qui sit criminiosus, excommunicatus, minor 25. annis, & alia procuratoris, qui sit mutus, surdus, mente captus: aliæ rei conuentæ qualitatem respiciunt, ut si queratur actor, se spo-



se spoliatum esse, & idcirco restituendum prius, antequam iudicio agatur. Alia denique ex causa & actionis conditione, ex loco, tempore, aliisque circumstantiis sumuntur, ut si libellus sit obscurus, si citatio tempore feriarum fiat, aut ad minimè securum locum instituat. *6. Pastoralis. 4. de except.*

Quarto dividitur in emergentes, & incidentes. Emergentes dicuntur quibus processus ante, vel post litem contestationem retardetur, aut suspendatur, quales sunt exceptio incompetentiæ, præventionis, recusati iudicis, termini angustii, feriarum, legitimationis personarum, exceptio contra testes non admittendos. & incidentes vocantur, quæ vel ipsam substantiam petitionis, & actionis intentatæ duntaxat, vel ipsam substantiam actionis, & processum simul concernunt. Ipsam substantiam actionis concernunt exceptiones peremptoria, puta, inhabilitatis, pacti, de non perendo, solutionis, compensationis, consanguinitatis, & similes. Ipsam substantiam actionis, & processum simul respiciunt exceptiones omnes litem finitæ, cuiusmodi est exceptio rei iudicatæ, transactionis, iuramenti, præscriptionis, & alia similes.

Quinto possunt ratione formæ dividi in iustas, & iniustas, frivolas, & præposteratas. *Instit. de replicat. l. 3. l. pen. C. de except. V. Vesenbec. in expos. tit. de except. l. 44. ff. ubi n. 9.* notat exemptio neshodie nulla certorum verborum forma constare, sed quibuscunque

verbis, vel etiam scripto ad libitum uniuscuiusque proponi. *Ostiens. in Rubr. de Except. Vallens. lo. cit. Lancel. l. 3. Tit. 5. A. 20 in sum. l. 8. n. 35.*

§. 2.

De tempore, & modo proponendi Exceptiones.

I. PRIMA, & maximè necessaria contra iudicem exceptio est: quia litigare coram Iudice incompetente est litigare coram homine privato, qui ius dicendi non habet potestatem. *l. 2. ff. de off. procons. ac proinde initio statim, utpote fori declinatoria proponenda est. l. ult. & ibi Bart. C. de except. Bald. in l. fin. C. de iudic. Archidiacon. in c. Nullus 4. q. 4. Angel. in l. sed et si suscepit. ff. eod. Covarr. lib. pract. Q. 6. 26. n. 2. Surdus Consil. 204.* Quod si reus hac neglecta quacunq; alia exceptione usus fuerit, in iudicem incompetentem consensisse videbitur & negligere suspensionis causam, nec poterit ad hanc defensionem redire *arg. di. legis. Sed et si suscepit. ff. de iud. specul. in Tit. de except. §. Viso. V. Porro. Bart. in l. fin. C. de except. Castro in l. exceptionem col. fin. C. de prob. Pacian. l. 2. de probat. c. 45. num. 14. & 16.* Competit igitur exceptio hæc reo, quando apud eum magistratum, apud quem conveniri non debet, agitur. *l. pen. & ult. C. de except. Lancel. in Tr. de off. pratoris. Maranta Par. 4. p. 103.* Actor enim sequitur forum rei, non reus forum actoris. *l. 2. C. de iuris d. l. fin. C. ubi in rem actio. Pract. Ferrar. pag. 71.*

P 3

Est